

x

192

celitudinis nostre omnibus prelatibus comitibus et baronibus iurisdictionis tue in maritima et locis adiacentibus maritime terras habentibus, quod nulla victualia vel merces aliquas sine speciali mandato nostro pendenti de terris eorum cum vassellis magnis seu parvis per mare extrahi faciant vel permittant sine licentia extractionis huiusmodi, quam nostro beneplacito reservamus, utpote dignitati regie ex antiquo totaliter inherentem. Exigas preterea et exigi facias pro parte curie nostre de onere cuiuslibet vasselli habentis duas caveas navigantis ad partes ultramarinas balistas de cornu tres, unam videlicet de turno aliam de lea et aliam ad unum pedem, et habentis unam caveam balistas duas de cornu, unam videlicet ad duos pedes et aliam ad stengnam, **quas ad cameram nostram mittas.** Volumus preterea et mandamus, ut, quia fidelium relatione discimus, quod quamplura de demaniis ecclesiasticis et morticiis ad fiscum nostrum de iure spectantibus, nec non et quamplura bona stabilia illorum, qui se comites appellabant, aliorumque fautorum eliamfredi quondam principis Tarentini, nec non quamplura castra casalia et possessiones alie et quamplura bona mobilia preditorum nostrorum, que post felices victorias nostras debuerunt ad manus nostre curie devenire, sunt occupata et illicito detenta; omnia ad manus nostre curie revoces et debeas pro parte nostre curie procurare, de hiis vero, que revocari contigerit, et a quibus, distincte ac separatim tres quaternos consimiles fieri facias, quorum unum peres te retineas alium ad cameram nostram et tercium predictis magistris rationalibus sub sigillo tuo transmittas. Ceterum tibi sub obediencia gratie nostre firmiter et expresse mandamus, quatinus iuxta statutum in curia nostra factum sententias omnes condemnationes et penas et banna omnia, que per te fieri contigerit sine con-

[14]

[15]

[16]